

conspicuis quibusdam factis pendet, qualia sunt Christi et Apostolorum miracula, insignes utriusque Testamenti Prophetiæ, modus quo nostra Religio in orbem universum sese effudit, etc. His omnibus firmiter constitutis, suum Christianæ Religionis veritati assensum denegare non potest, quisquis rectum gerit animum, et ratione, ut par est, utitur. Porro terribilis ille inquisitionum, comparationum, librorum, etc. apparatus, quo studet Genevensis Sophista rudes à suscipienda nostra Religione deterrere; omnes, inquam, illæ ambages minime sunt necessariæ, ut factorum evangelicorum veritas persuadeatur. Quæ enim exposituri sumus argumenta, ita rem demonstrant, ut nihil implexi, nihil nimis intricati habeant. Si hominis rudis et imperiti ingenio sese non offerant, illius tamen consensum rapiunt, ubi modo ipsi idoneo proponuntur, nisi obstinatè velit oculos lumini claudere. Nullam quippè in tota antiquitate factum reperias, quod sub eo respectu cum factis evangelicis conferri queat. Cùm igitur certa sint miracula, in gratiam Religionis Christianæ edita, et Deus secum ipse pugnare non possit, eo ipso rejiciendæ sunt aliæ Religiones oppositæ.

Obj. 3^o. Licita est *indifferentia* circà Religiones æqualiter bonas: atqui singulæ Religiones sunt, etc. si quæ enim sola esset bona, Deus eam conspicuis quibusdam characteribus discriminasset, ut omnes possent eam ab aliis secernere: atqui res aliter se habet, ut constat ex Religionum diversitate quæ homines dividunt.

Resp. Ad primum argumentum, neg. min. propter rationem in probatione allatam.

Ad secundum resp. etiam. Neg. min. Ex dicendis enim manifestum erit Religionem Christianam specialibus quibusdam characteribus ita splendescere, ut iis quibus congruenter proponitur, plana sit et obvia: nec obstat Religionum varietas quæ genus humanum dividit: hæc enim

opinionum diversitas et pugna hoc unum probat, scilicet Religionem Christianam non ita ex omni parte evidentem esse, ut non possit ex errore vincibili in dubium revocari: namque, ut egregiè animadvertit Nicole, Religio Christiana satis clara est, ut à nullo sine culpâ rejici possit; satis verò obscura, ut qui ipsi fidem adjungit, non sit expers meriti. Et verò ex eo quòd homines o'lim circà unitatem Dei oppositas in sententias abierint, non sequitur Theismum et Polytheismum æquè probabiles esse: ergo pariter, quia varias in Religionem scinduntur populi, inde inferre non licet nullam existere, quæ insignibus aliquot veritatis characteribus et notis alias vincat.

C A P U T I V.

De veræ revelationis characteribus et signis.

CUM variæ sint in orbe Religiones, et suam unusquisque Revelatione munitam jactitet, expendamus necesse est, quibusnam characteribus insigniatur genuina Revelatio. Quemadmodum enim insanum esse veræ Revelationi non parere, ita stultum videtur Religionem, quasi revelatam, admittere, nisi perspicuos sinceræ Revelationis characteres præ se ferat. Duo sunt autem potissimum signa, quæ veram probant Revelationem, Miracula scilicet et Prophetiæ. De utrisque duobus in articulis disserendum est.

A R T I C U L U S P R I M U S.

De Miraculis.

Hoc in articulo quinque nobis proponimus exploranda. 1^{um}. quid sit miraculum; 2^{um}. an pos-

sibile sit; 3^{um}. quæ illius causa; 4^{um}. quid valeat in genere probationis; 5^{um}. quinam sint veri miraculi characteres.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De natura Miraculi.

Circà miraculi naturam varias in opiniones scindunt Theologi et Philosophi. Præcipuas referemus, et quænam anteferenda sit aperiemus.

1^o. Lockius miraculum nihil aliud esse docet, quàm operationem sensibilem quæ spectantis caput superans, consueto naturæ ordini videtur contraria, ac proinde divina iudicatur. Hinc, juxtà illum Authorem, sua cuique sunt miracula.

2^o. Clarckius celebris alter apud Anglos Philosophus in opere de *Religionis naturalis et revelatæ argumentis*, suadere nititur miraculum esse Entis intelligentis, hominiquè superioris effectum, et solito naturæ ordini contrarium: cognoscere enim, inquit, non possumus, quâ virtute polleant boni malique Angeli, nec quos limites eorum potestati Deus posuerit; ita ut, si creationem excipias, vix aliquis effectus existat in mundo, quantumvis stupendus videatur, de quo certò affirmare possimus, ipsum creatæ cuiuslibet naturæ vires excedere; idcirco juxta Clarckium, dæmones possunt vera patrare miracula.

3^o. Sententia est doctissimi Abbatis de Houtteville, qui in suo de Religione Christianâ Tractatu miraculum definit, eventum rarum et stupendum ex incognitâ, sed naturali legum generalium harmoniâ et temperatione profluentem. Deus enim, inquit, cuncta ab initio ita constituit, ut ex legibus semel positâ, sponte oriantur ea omnia quæ mira nobis videntur: pro suâ quippe sapientiâ tenetur in rerum administratione viis uti brevioribus et simplicioribus: porrò brevius simpliciusque est leges generales quibus regitur orbis universus sic attemperasse

attemperasse, ut ex eis nascantur effectus stupendi, qui dicuntur miracula: hoc enim uno et eodem actu perficitur: contrâ verò, pergît Autor, in opposita sententia duo ex parte Dei requiruntur actus, alter quo leges generales constituit, alter quo legum illarum exceptionem statuit. Hanc definitionem excogitavit Autor, ut Spinosam revinceret, qui miracula possibile esse eam ob causam negat, quòd legibus generalibus à Deo constitutis derogarent, quæ juxtà ipsum prorsus immutabiles sunt.

4^o. Miraculum strictè proprièque sumptum à sancto Thoma definitur, *opus quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ*, corporeæ scilicèt et incorporeæ. (1^a. Part. quæst. 114. art. 4.) Miraculum autem latè sumptum est effectus qui vires humanas superat. Dicitur quandoque, ait ibidem sanctus Doctor, *Miraculum largè, quod excedit humanam facultatem ... sic dæmones possunt facere miracula.*

Notandum est autem miraculum dici posse supra vires naturæ creatæ, sub duplici respectu; nempe vel quoad substantiam, quando nimirum in se spectatum constantissimis totius naturæ creatæ legibus derogat, ut motus diurni, vel solis, vel terræ interruptio; vel quoad modum quo produci- tur effectus stupendus, cum scilicèt omnes naturæ creatæ vires superat: talis est subita morborum quorumlibet sanatio, solo nutu et imperio facta. Quid autem ex prædictis definitionibus sentiendum nobis videatur, patebit ex sequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Definitio Miraculi à Lockio tradita rejicienda est.

Probatur. Illa definitio rejicienda est, ex qua non potest certò statui quid in se miraculum sit: atqui ex definitione à Lockio traditâ non potest,

etc. De eo scilicet nihil potest certo statui, quod ex variâ hominum opinione et cognitione pendet: atqui, juxta definitionem quam refellimus, miraculum ex, etc. quod uni miraculum est homini, non erit alteri; idem eventus miraculi naturam modò induet, modò exuet: sic, v. g. effectus qui hodie miraculum est respectu spectatoris ignari, qui illum contra consuetum naturæ ordinem fieri putat, cras ipsi desinet esse miraculum, si illius causam cujus erat inscius, compertam habuerit: atqui illud absurdum est: non enim à nostra cognitione nostroque judicio res habent ut sint miracula, vel non sint; miracula non efficit, sed supponit nostra cognitio. Præterea, juxta definitionem Lockianam, circulatorum fallaciæ, et aliæ præstigiæ totidem essent vera miracula, modò à spectatoribus crederentur contra solitum naturæ cursum fieri: atqui illud prorsus ridiculum est; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Miraculi notionem haud feliciter exposuit Clarckius.

Probatur. 1^o. Miraculum, si Clarckium audiamus, est opus Entis homini superioris, scilicet Angeli, sive boni, sive mali, quod solito naturæ ordini contrarium est: atqui illa definitio nullo nititur certo principio. Sic enim autor ratiocinatur: Quas vires Deus Angelis, sive bonis, sive malis concesserit, non cognoscimus, et ideo quæ nobis sunt impossibilia, illis possunt esse facilia, vixque ulla est operatio, præter creationem, quæ ipsis propria esse non possit: atqui infirmum est illud argumentandi genus: nam si nos lateat, quæ sit Angelorum potestas, gratis asseritur, ipsis competere vim miracula patrandi. Non prius enim quidquam de aliqua re affirmandum est, quàm exploratam habeamus ejus cognitionem: atqui fate-

tur Clarckius naturam virtutemque Angelorum nobis esse incognitam; ergo temerarium est tantam ipsis adscribere potestatem.

Prob. 2^o. Certum est nullum esse efficacius veritatis revelatæ testimonium, quàm miracula, cum semper à Deo ipso fuerint adhibita, ubi voluit hominibus sese manifestare: atqui si mali Angeli, sive dæmones, possint vera facere miracula, jam ista non erunt nisi testimonia æquivoca; quod enim commune est errori et veritati, non potest esse nisi testimonium incertum et ambiguum: atqui in systemate Clarckii miraculum est, etc.; ergo, etc.

Prob. 3^o. Autoritate. 1^o. Ætate quâ florebat sanctus Chrysostomus, cum Judæi Antiochiæ commorantes, miracula in Synagogis suis fieri contenderent, sanctus Doctor, ut populum suum ab erroris contagio servaret immunem, multis sermonibus exposuit Judæorum cœtus non esse nisi Satanæ Synagogas: Satanam autem non posse morbos sanare, sed insidiari tantum ac nocere: unde concludebat miracula quæ jactitabant Judæi, totidem esse fabulas: atqui hujusmodi ratiocinium apertè probat, sanctum Doctorem persuasum habuisse, Dæmones nulla posse operari vera miracula.

2^o. Cum ab Arianis Christi divinitas impugnaretur, sic eos urgebant fideles et Doctores: ex illorum parte stat veritas, apud quos vera sunt miracula; apud solos autem divinitatis Christi defensores vera reperiuntur miracula; ergo, etc.: atqui talem argumentationem profectò non adhibuissent, si à Dæmonibus fieri posse vera miracula existimassent.

Denique qui pro Sanctorum reliquiis et imaginibus adversus hæreticos decertarunt, miraculorum præsertim autoritatem opponebant. Per Sanctorum reliquiâs et imagines, inquebant, fiunt miracula, ac proinde pius est et laudabilis,

qui illis exhibetur cultus: atqui vitiosa foret hæc consecutio, si posse Dæmonem miraculorum autorem esse credidissent; ergo, etc.

At, inquires, etiamsi Dæmonibus vera adscriberentur miracula, semper in promptu erit miraculum divinum à diabolico secernere, nimirum per examen doctrinæ: si enim miraculum fiat in confirmationem erroris, Dæmoni tribuendum erit; si verò fiat in gratiam veritatis, tum autorem habet Deum.

Quam autem infirma sit hæc Clarckii responsio ut magis pateat, non abs re erit ipsius systema breviter exponere. Triplex ab eo distinguitur doctrina; alia evidenter vera, ut ista propositio. *Deus colendus est*; alia evidenter falsa, qualis est ista, *idola colenda sunt, ut vera Numina*; alia denique *indifferens*, id est, cujus veritatem, aut falsitatem solo rationis lumine deprehendere non possumus; talis est ista; *existunt tres personæ divinæ in unâ naturâ divinâ*; porro, inquit, Clarckius, ubi agitur de doctrinâ evidenter falsâ, miracula nihil probant, nullamque vim habent: ubi agitur de doctrinâ evidenter verâ, illius veritati nihil addunt miracula: si autem doctrina sit *indifferens*, et in ipsius confirmationem factum fuerit miraculum, tunc originem habet divinam; quia Deus non potest permittere ut homines necessariò decipiantur: putat igitur Clarckius miraculum divinum à diabolico discerni posse, per doctrinam quam vocat *indifferentem*: atqui illud ita fieri non potest; nam, juxtâ prædictum Autorem, miraculum in se spectatum est *indifferens*, tamque potest errori, quam veritati sese accommodare, tam à dæmone quam à Deo proficisci: aliundè doctrina est etiam *indifferens*, tamque potest esse falsa quam vera: atqui ex duobus *indifferentibus*, nihil certum, nihil fixum, nihil determinatum concludi potest; ergo vana est omninò et ridicula quam proponit Clarckius, ratio miraculum divinum à diabolico discernendi, scilicet ope doctrinæ.

Præterea si ad secernenda Dei et Dæmonis miracula, doctrinam expendere necesse sit, quo pacto ab imperitis et rudibus qui tanto sunt numero, fieri poterit illud discrimen? Paucos enim reperias, quorum captum non superet hæc doctrinæ difficilis et ardua discussio. Quapropter Christus, ut Judæos ad fidem adduceret, non doctrinæ, sed miraculorum autoritatem adhibuit: *Si mihi non vultis credere, inquit, operibus credite.* (Joan. cap. 10. v. 39.) *Ego autem habeo testimonium majus Joanne ... ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* (Ibid. cap. 5. v. 36.) Miracula igitur sunt per se veritatis argumentum ineluctabile, quod fusiùs postea demonstrabimus: atqui illius testimonii vim et efficaciam perimit Clarckius, dum vera miracula, tum Deo, tum Dæmoni attribuit, quod vitium ex eâ quam tradit miraculi definitione fluit; ergo rejicienda est.

PROPOSITIO III.

Miraculum non rectè definitur effectus rarus et stupendus ex Legum generalium concentu et harmoniâ dimanans, ad mentem celeberrimi Abbatis de Houteville.

Probatur. 1º. Hæc definitio eo præsertim nititur principio, quòd Deus, utpotè summè sapiens, viam simpliciolem sequi teneatur: atqui illud gratis asseritur; si enim Deus viam simpliciolem semper insistere deberet, maximè quia hujusmodi via esset perfectior: atqui non constat viam simpliciolem esse simul perfectiolem. Talis nempè esset habità ratione vel consilii divini, vel universæ mundi compagis: atqui neutrum satis novimus, ut illud certò possimus affirmare. Quinimò, etiamsi viæ simpliciores essent simul perfectiores, non sequeretur iis Deum adstringi; quia nec suam

sapientiam, nec quidquam ex suis attributis, tantum quantum potest, tenetur manifestare; ergo, etc.

Prob. 2°. Illa definitio non admittenda est, quæ miraculis omnem suam auctoritatem adimit: atqui talis est definitio quam impugnamus. Ex eo quod enim sint naturalis ordinis opera, non majorem testimonii vim habent, quam ceteri effectus naturales: si quam majorem habeant in genere probationis efficaciam, hæc repetenda erit, vel ex natura rei, vel ex Dei determinatione: atqui neutrum dici potest. Non quidem primum; cum enim hujusmodi opera naturalem ordinem non superent, nullam ex se habent cum veritatibus supernaturalibus proportionem. Non secundum; ubinam legitur et innotescit illa Dei determinatio? undenam agnosci potest Deum hos vel illos effectus naturales, potius quam alios elegerit ad manifestandam voluntatem suam supernaturalem? Si quis, v. g. Astronomus ex eclipsi quæ tempore mortis Christi contigit, ipsius divinitatem persuadere voluisset, certe hujusmodi probatio apud eos non multum valuisset, quibus constaret illam eclipsim ex naturali legum generalium concursu et harmoniâ prædiisse; ergo, etc.

Prob. 3°. Illius sententiæ Patróni oppositam quæ miraculum dicitur effectus generalibus naturæ legibus derogans, eam ob causam rejiciunt, quod duos ex parte Dei actus supponat, dum unus sufficit, alterum scilicet quo leges generales Deus condidit, et alterum quo illarum legum exceptionem et interruptionem decrevit: atqui pariter in opinione sua duplicem actum in Deo coguntur admittere; alium nempe quo leges generales constituit, et alium quo specialiter voluit eas leges tali loco, tali tempore miracula sortiri. Voluntas enim quæ leges posuit, ab ea distinguitur, quæ miracula hujusmodi legibus illigavit; sicut voluntas quæ leges condidit, ab ea distinguitur, quæ iis

exceptionem per miracula apposuit: uno verbo, si Deus, juxta adversarios, per unicum et simplicem actum, et effectus naturales et prodigia ex legibus generalibus pendere voluit, eodem jure affirmabimus Deum unico et simplici actu, et leges generales, et earum exceptiones ordinasse; si verò duplicem actum in Deo nos admittere pertinaciter contendant, eodem jure talem illum in ipsos retorquebimus.

PROPOSITIO IV.

Miraculum propriè dictum rectè definitur eventus quidam stupendus, vires et ordinem totius Naturæ creatæ superans.

Probatur. 1°. Juxta communem sentiendi modum, miraculum propriè dictum est veritatis divinitus revelatæ testimonium certissimum: atqui non nisi æquivocum esset testimonium, si totius naturæ creatæ vires non superaret. Nam 1°. concedamus miraculum supra vires naturæ humanæ non esse positum, tunc vafer quilibet pro sua peritiâ poterit miracula in erroris patrocinium proferre; 2°. si vires humanas tantum excederet, non autem angelorum facultatem, tunc dæmones ad omne scelus projecti, possent miracula in suorum mendaciorum confirmationem operari; ergo ut miraculum indubitatum sit veritatis argumentum et signum, definiatur necesse est eventus totius naturæ creatæ vires et ordinem superans.

Prob. 2°. Idem ferendum est iudicium de veris quibuslibet miraculis, ac de iis quæ à Christo edita sunt; siquidem absurdum est vera admittere miracula, quæ tamen diversam et oppositam habeant naturam: atqui Christi miracula totius naturæ creatæ vires superabant. Illud enim vim et efficaciam totius naturæ creatæ excedit, quod potentia infinitæ est effectus: atqui Christi miracula erant effectus potentia infinitæ: nam Christus

ex suis operibus, sive miraculis, comprobavit se Patri suo æqualem esse: atqui miracula Christi hanc cum suo Patre æqualitatem certam facere non possunt, nisi potentiam infinitam arguant; opera enim quæ à merâ creaturâ fieri possunt, nullo modo probant Christi cum Deo Patre æqualitatem: atqui nisi miracula Christi infinitam exigant potentiam, à merâ creaturâ prodire potuerunt; ergo miracula Christi erant totidem potentiæ infinitæ effectus, ac proinde totius naturæ creatæ vires superabant; ergo de veris quibuslibet et propriè dictis miraculis idem sentiendum est.

Solvuntur objecta.

Obj. Illa definitio miraculi non est accurata, quâ positâ, aliquid existere miraculum certius non possumus: atqui positâ nostrâ definitione, aliquid, etc. ergo, etc.

Resp. 1^o. Neg. maj. Definitio enim eò non pertinet, ut rem existere nos certos faciat; sed eò spectat tantummodò, ut rei naturam aperiat: aliud est, v. g. definire quid sit linea recta, et aliud quærere an hæc vel illa linea sit recta; ad legitimam ergo definitionem, satis est ut genuinam rei naturam exponat: atqui talis est ea quam tradidimus miraculi definitio, ut satis ex iis liquet, quæ superius dicta sunt; ergo, etc.

Resp. 2^o. Neg. min. Tunc quippè certum est adesse miraculum propriè dictum, quando exploratum habemus, generalem aliquam naturæ legem nobis cognitam suspendi. Cum enim solus Deus constanter naturæ leges statuere potuerit, solus etiam potest easdem suspendere et intervertere: atqui certò cognoscere possumus generalem aliquam et nobis cognitam naturæ legem suspensam fuisse et interruptam; sic, v. g. omnium seculorum experienciâ novimus, solem eclipsim non pati, nisi luna solem inter et terram interposita fuerit; sic novimus solem constanter ab oriente

versus occasum declinare; sic novimus morbos ex naturâ suâ pertinaces, non nisi adhibitis remediis, et post aliquod temporis spatium sanari: si ergo sol eclipsim patiat, absque interpositione lunæ eum inter et terram, ut contingit, moriente Christo; si medio in cursu sol steterit, ut ad imperium Josuæ quondam evenit; si morbi contumaces, ad solum hominis nutum subito depellantur, ut toties à Christo factitatum est; tunc confidenter asserere possumus hujusmodi effectus generalibus naturæ legibus derogare, totidemque esse miracula propriè dicta.

Inst. Ut certi simus aliquid miraculum existere, compertas habeamus necesse est omnes et singulas naturæ vires et leges: atqui hanc cognitionem non possumus assequi; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ut enim cognoscamus effectum aliquem omnem naturæ vim excedere, minime necesse est nobis exploratas esse omnes et singulas naturæ vires et leges, quemadmodum non opus est ut omnes et singulas materiæ proprietates percalleamus, quò certi simus cogitandi facultatem omnes materiæ vires superare: sicut igitur ad certò pronuntiandum cogitationi prorsus imparem esse materiam, sufficit ut nonnullas ipsius proprietates cognoscamus, quibuscumque cogitatio non possit conciliari; ita pariter ut tutò asseramus nonnullos effectus omnes naturæ vires superare, satis est constantes quasdam naturæ leges nobis esse cognitatas, cum quibus stare non possint hujusmodi effectus; satis est, inquam, ut nonnulla sint facta quæ ex ipso rationis lumine, ex communi hominum judicio, perpetuæque experienciâ viribus naturæ tribui non possint. Sic quamvis definiri non possit quid in sanandis morbis valeat hominum industria, attamen absque temeritate affirmare possumus, solo verbo et nutu, et sine morâ eos depelli non posse; ergo quamvis nesciamus quousque pateant naturæ vires et leges,

nihilominus asserere licet aliquem effectum esse supra omnes naturæ vires positum.

Inst. Aliquæ forsan leges naturæ nobis incognitæ, eos operantur effectus quos miracula vocitamus; ergo ut asseratur miraculum esse supra totius naturæ vires positum, cognoscamus necesse est omnes, et singulas naturæ leges. Ita disputat *Rousseau* Genevensis in opere cui titulus: *Lettres écrites de la Montagne*.

Resp. Neg. ant. Illæ naturæ leges nobis incognitæ, quæ legibus generalibus notissimis adversantur, mera sunt sigmenta. Dum enim leges omnes cognitæ, mortuo, v. g. suscitando sunt impares, gratis finguntur aliæ quæ per multa annorum millia inertes, steriles et otiosæ, mortuo vitam restituerent, et deinde in primævam suam relaberentur inertiam. Illi quippè sunt legum naturalium characteres, ut sint constantes, uniformes, ut in iisdem circumstantiis physicis eosdem pariant effectus. Nisi ita se haberent, autoris sui scopum non attingerent, sed à fine quem sibi proposuit, aberrarent. Illarum enim autor Deus voluit; ut creaturæ rationales in instituendo vitæ cursu diligentiam, industriam, et consilium certò adhibere possint, futura quædam prospicere, nonnullos effectus ex quibusdam suis actionibus confidenter expectare: atqui nisi leges naturæ essent constantes et uniformes, deficeret in creaturis prudentia seu consilium, omnia essent incerta, instabilia, dubia: tanquam igitur commenta rejiciendæ sunt leges illæ incognitæ et momentaneæ, quæ in subitos quosdam effectus legibus generalibus derogantes erumperent.

Inst. In studio naturæ, inquit *Rousseau*, novi in dies fiunt progressus, humanaque perficitur industria; v. g. repertum est, remedium, cujus operibus aquis demersi ad vitam revocantur. Jam exquiratur quoddam artificium, quo suscitentur à mortuis. suspendio interempti. Quis noverit an non in

aliis mortis generibus detegendum sit arcanum aliquod, cujus auxilio vita iis restituatur, qui mortui existimabantur. (3. *Lettre de la Montagne*.) Ergo possunt esse in natura leges quædam nobis incognitæ, quæ eos operentur effectus quos miracula vocamus.

Resp. Ineptas prorsus esse hujusmodi argutias, nec posse cuiquam fucum facere. *On vient*, inquit autor, *de découvrir le secret de ressusciter des noyés*. Egregiè; sed ubinam est illud remedium? Si quod noveris, istius cognitionem ne patriæ invidas. Me quidem non latet convalescisse homines in aquam lapsos, et in quibus interclusa erat respiratio: sed ridiculè prorsus diceretur, homines in aquis verè mortuos, arte humanà fuisse ad vitam revocatos. *On a déjà cherché*, pergit autor, *le secret de ressusciter les pendus*. Quid inde? numquid repertum fuit? Deinde ita concludit noster Philosophus: *Qui sait si dans d'autres genres de mort, on ne parviendra pas à rendre la vie à des corps qu'on en avoit cru privés?* Lepidam sanè consecutionem! quid aliud est, quam si diceret vitam esse iis restituendam, qui eam nondùm amisere? apage ineptas hujusmodi nœnias.

PARAGRAPHUS II.

Utrum Miraculum sit possibile.

Miracala ipsimet Deo possible non esse asserere ausus est Spinoza: eà verò potissimum ratione nititur, quòd per miraculum generalibus naturæ legibus derogaretur, quæ sunt prorsus immutabiles. Cùm enim, inquit, nihil aliud sint, quam ipsa Dei decreta, nullam possunt mutationem experiri, quin aliqua vicissitudinis umbra in Deum, ipsum refundatur; contra quem sit sequens Propositio.

PROPOSITIO.

Miraculum est possibile.

Prob. 1^o. Illud possibile est, quod nullam involvit repugnantiam: atqui miraculum nullam, etc. Si quæ enim esset, vel staret ex parte subjecti, sive creaturæ, vel ex parte causæ efficientis, sive Dei: atqui neutrum dici potest. 1^o. Quidem ex parte subjecti, sive creaturæ nulla stat repugnantia: idonea quippè est creatura recipiendæ actioni divinæ et speciali, ex qua nascuntur miracula: Deo enim non minùs subjicitur, quàm lutum figulo. Nonne potest, v. g. cadaver, volente Deo, eandem recipere partium organicarum dispositionem, eandem nervorum flexionem et mollitiem, eandem humorum temperationem, eundem cordis calorem, eundem sanguinis motum, eam proindè vitam quam priùs habuerat? Qua in re, nihil occurrit, quod divinam superet potentiam; ergo 1^o. nulla est in miraculo repugnantia ex parte subjecti.

2^o. Neque ex parte causæ efficientis, sive Dei: qui enim potest suum ad arbitrium naturæ corporeæ leges suspendere, interrumpere, mutare, certè potest miraculum efficere: atqui valet Deus pro suo arbitrio naturæ, etc. Siquidem eas ita liberè condidit, ut alias diversas instituire penès ipsum fuerit. Quis v. g. negaverit Deum, qui in præsentis rerum statu voluit, ut corpus ab alio impulsus moveretur, non potuisse discernere ut ex eadem collisione sequeretur effectus dissimilis? Ergo 2^o. miraculum ex parte causæ efficientis, sive Dei, nullo modo repugnat; aliundè neque ex parte subjecti, sive creaturæ; ergo, etc.

Prob. 2^o. ex populorum consensu. Nullus est populus, qui suæ religioni ut fidem et autoritatem conciliaret, in ejus gratiam facta fuisse miracula non contenderit. Sua proferunt Judæi;

sua, et quidem certissima, habent Christiani; sua jactitant Mahumetani et Pagani, licèt, immerito: atqui prius est miracula credere possibile, quàm ea sibi vindicare; ergo omnibus populis persuasum fuit illud quod defendimus dogma. Hæc veritas adeò perspicua est et omnibus obvia, ut auctor operis cui titulus, *Lettres écrites de la Montagne*, licèt Religionis cujuslibet revelatæ hostis infensissimus, eam diffiteri non potuerit: *Quel homme, inquit famosus ille scriptor, a jamais nié que Dieu pût faire des miracles!* (*Lettre 3. pag. 132.*) Hanc veritatem facilè admittet, quisquis Deum omnium conditorem confessus fuerit, nec ei potentiam denegabit mortuum, v. g. ad vitam revocandi; qui enim corpus et animam potuit è nihilo educere, eaque mutuis, mirabilibusque vinculis quasi colligare, numquid non poterit corpus et animam, separata quidem, sed existentia, denuò conjungere?

Denique ab actu ad posse valet consecutio, ut fert tritum axioma: atqui vera extitisse miracula in Religionis, tum Judaicæ, tum Christianæ gratiam, ex postea dicendis manifestum erit; ergo, etc.

Obj. Per miracula Deus generalibus naturæ legibus derogaret: atqui hæc derogatio non est possibile; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Deus enim potest derogare legibus quas liberè instituit: atqui Deus generales naturæ leges liberè statuit; tam quippè eas liberè condidit, quàm ipsum mundum, qui hujusmodi legibus regitur: atqui Deus mundum, etc. ergo, etc.

Inst. Derogatio quæ in Deo imperfectionem argueret, non est ipsi possibilis: atqui derogatio generalibus naturæ legibus facta, imperfectionem in Deo argueret. Vel enim Deus prævidit causam propter quam fit derogatio, vel non; si prius, inconstantia; si posterius, ignorantia merito erit accusandus; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Si quam imperfectionem in

Deum inveheret illa derogatio, maxime, ut fert objectio, ignorantiam vel inconstantiam: atqui neutrum dici potest; scilicet Deus simul et leges generales, per quas mundum erat moderaturus, instituit, et ab illis quosdam casus speciales à se cognitos excipere voluit: atqui in ea rerum dispositione ne quidem levissima est ignorantia et inconstantia umbra: quis enim Principem inscitiae vel levitatis accusaverit, si quo tempore legem aliquam statuit, decernat simul se nolle eam in his vel illis circumstantiis obligare?

Inst. Leges naturæ sunt ipsamet Dei decreta: atqui decretis divinis nullo modo derogari potest; ergo nec legibus naturæ.

Resp. Neg. maj. Leges naturæ divinis quidem decretis positæ sunt et stabilitæ; sed ab iis distinguuntur: se habent enim ad voluntatem divinam, ut effectus ad causam: atqui effectus à causâ discernitur; ergo leges naturæ à decretis divinis discriminantur: ac proinde quando hujusmodi leges per exceptionem ab æterno sancitam, aliquam patiuntur interruptionem, mutatur effectus, non verò divinum decretum.

PARAGRAPHUS III.

De Miraculorum causa efficiente.

Causa efficiens ea est quæ aliquem operatur effectum. Duplex distinguitur; alia *principalis*, quæ propriâ virtute et autoritate effectum procreat; alia *instrumentalis*, quæ alterius nomine et virtute agit. His prænotatis, sit.

PROPOSITIO I.

Deus solus est causa efficiens et principalis Miraculorum propriè dïctorum.

Probatur 1^o. ex ipsâ miraculi definitione. Inso-

litum enim est opus quod totius naturæ vires superat: atqui talis operis solus Deus potest esse causa efficiens principalis. Ad procreandum enim hujusmodi effectum, necesse est consuetas naturæ leges suspendere et interrumpere: atqui illud solius Dei proprium est. Ille quippè solus naturæ leges suspendere et interrumpere valet, qui illas constituit, supremusque est earum Dominus, atqui solus Deus naturæ leges, etc. ergo, etc.

Prob. 2^o. Solus Deus est causa efficiens et principalis miraculi propriè dicti, si nullum possint Angeli, sive boni, sive mali propriâ virtute operari: atqui Angeli, sive, etc. Angelos enim sub ordine totius naturæ creatæ contineri nemo inficiabitur: atqui tamen supra illum ordinem essent positi, si miraculum propriè dictum possent vî sibi innatâ efficere; siquidem miraculum est opus totius naturæ creatæ ordinem et vires superans, ut jam probavimus; ergo, etc.

Prob. 3^o. Ex communi hominum sensu et agendi ratione, qui à supremo numine miracula poscere, et pro iis concessis ipsi grates rependere consueverunt, ut probat universalis omnium temporum et Religionum experientia. Ad Deum recurrit sive Judæus, sive Christianus, ut obtineat miracula; ad sua numina confugit Paganus. Deo miraculorum autori gratias agit Judæus, agit Christianus, suis numinibus agit Paganus pro miraculis quæ ab ipsis concessa falsò putat: atqui generalis hæc consuetudo demonstret, quam altè omnium animis insideat ea persuasio, Deum solum esse miraculorum causam efficientem.

Prob. 4^o. ex Scripturis contra Christianos aliter sentientes. In veteri Testamento Psaltes Regius grandia describens prodigia, quæ in populi sui gratiam Deus olim ediderat, sic exclamat attonitus: *Quis Deus magnus sicut Deus noster! Tu es Deus: qui facis mirabilia.* (Psalm. 76. v. 14 et 5.) *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia*

solus. (*Psalm. 71. v. 18.*) Ex illis textibus quædam sunt miracula quæ Deus solus facit : atqui alia esse non possunt quàm propriè dicta ; miracula enim latè sumpta ab Angelis fieri posse ipsa testatur experientia ; ergo etc.

Prætereà nulli ea de re sunt testes fide digniores, quàm Apostoli, qui tot miracula operati sunt, et illorum causam efficientem ignorare non potuerunt: atqui Apostoli soli Deo, tanquam causæ efficienti, referunt quæ edebant miracula : *Ænea*, inquit sanctus Petrus, *sanat te Dominus Jesus Christus.* (*Act. 9. v. 34.*) In nomine Jesu Christi, ait Petrus claudio, *surge et ambula.* (*Act. 3. v. 6.*) Deinde Judæos sic compellat. *Viri Israëlita, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* (*Ibid. v. 16.*) Ergo Scripturæ non alium, præter Deum, agnoscunt autorem miraculorum propriè dictorum.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Mera creatura potest esse effectûs finiti causa physica et efficiens: atqui miraculum, etiam propriè dictum, est effectus finitus; ergo etc.

Resp. 1^o. Neg. maj. quæ generalior est. Causa enim finita non potest quemlibet effectum in se limitatum producere, sed eum tantummodò, qui ipsius naturæ est accommodatus, et qui intra illius potestatis fines continetur. Sic homo eam non potest efficere, quæ spiritus angelici sunt propria, nec spiritus ordinis inferioris, illud potest operari, quod spiritui ordinis superioris peculiare est; Deus scilicèt omnium conditor, rei cujuslibet creatæ vim et efficaciam certos intra limites coercuit, quos transilire non potest; eo ferè modo quo singulis corporis membris suas distribuit functiones, ultra quas nihil valent; ergo etiamsi miraculum esset effectus finitus, inde perperam concluderetur, huic procreando parem esse creaturam.

Resp. 2^o. Neg. min. Miraculum enim est effectus ex solo voluntatis imperio prodiens, et absque ullius creaturæ interventu, qui aliquam cum eo proportionem habeat: atqui hujusmodi opus infinitum est, et supremum in creaturam dominium arguit, quod soli Deo competit; ergo etc.

Ins. Miraculum propriè dictum, effectus est quidam repentinus, v. g. subita morbi sanatio: atqui in eo nihil occurrit, quod naturalem Angeli, imò et hominis, virtutem et industriam superet, ut frequens docet experientia; ergo etc.

Resp. Neg. maj. Miraculum enim non repentinus tantum est effectus; sed etiam opus sine ullo factum causarum naturalium influxu, qui aliquam cum ipso proportionem habeat. Itaque effectûs celeritas aliquandò miraculum arguit; aliquandò non: sic, v. g. cum aliquis febrî aliove morbo vexatus, urgente incendio, excutitur è lecto et sanatur, adest quidem effectus subitus; sed quia novimus inter agitationem illam à formidine exortam, et quorundam morborum sanationem, esse aliquam proportionem, miraculi nomine effectus ille minimè nobilitatur; quòd autem subito, solo nutu aut vocis imperio, morbi etiam contumaces fugiant, ibi miraculum agnoscimus; inter vocis enim imperium et subitam morbi depulsionem nulla intercedit proportio.

Obj. 2^o. Exodi cap. 7. legitur Magos Pharaonis tria priora Moysis miracula imitatos fuisse; scilicèt virgas in dracones, aquam in sanguinem converterunt, ranasque super terram adduxerunt; unde sic: prodigia à Magis Pharaonis edita, vera fuerunt miracula: atqui tamen à dæmone patrata sunt; ergò non solus Deus, sed etiam dæmones vera possunt efficere miracula.

Resp. Neg. maj. Quamvis enim circà modum quo Magi Pharaonis mox recensita prodigia ediderint, duas in opiniones scindantur Theologi; in eo tamen satis sunt concordés, quòd vera non

fuerint miracula. Alii nimirum in iis prodigiis nihil verum, nihil solidum agnoscunt, sed non nisi præstigiis vanaque rerum spectra, quæ intuitum oculis illudebant; his verò potissimam nituntur momentis: 1^o. quia teste Scripturâ, hæc omnia Magi fecerunt per incantationes ægyptiacas, et arcana quædam. (*Exod. 7. 11.*) Atqui Magorum incantationes nihil operari solent, nisi vanas species inaniaque rerum simulacra, quibus decipiuntur spectantes, eorumque sensibus illuditur. 2^o. Quia, ut refert textus sacer, postquam aquas in sanguinem convertisset Moyses, foderunt omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent, non enim poterant bibere de aqua fluminis. (*Exod. cap. 7. v. 24.*) Atqui idem de Israëlitis non dicitur, postquam visi sunt Magi aquam in sanguinem vertere. Præterea ranæ à Moysè super terram in vectæ, mortuæ sunt. . . Congregaverunt eas in immensos aggeres, et putruit terra: (*Exod. cap. 8. v. 13. et 14.*) quia scilicet veræ erant ranæ: atqui nihil simile de iis narratur quas Magi adduxerunt, quia nihil aliud erant, quam mendacia ranarum spectra.

Alii verò sentiunt Magos Pharaonis, non vanas rerum imagines, sed veros serpentes, verum sanguinem, verasque ranas exhibuisse; virgæ enim Magorum dicuntur versæ in dracones (*ibidem cap. 7. v. 12.*) quemadmodum virga Aaron dicta fuit versa in colubrum. (*v. 10.*) Quod tamen ita nolunt intelligi, ut serpentes, sanguinem, et ranas procreaverint, et virgas in serpentes et aquam in sanguinem converterint, quia utrumque solius Dei proprium est.

Sed opinionem suam accipi volunt, vel eo sensu, quod serpentes et sanguinem virgarum et aquæ loco Magi substituerint, ranasque in medium subtiliter projecerint, ut à peritissimis circulatoribus fieri solet: vel eo sensu quod vias quasdam naturales nobis quidem incognitas, at sibi non impervias adhibuerint Dæmones. Enimverò si homines

cognoscere valeant, unde hi, vel illi vermes, unde hoc vel illud muscarum genus prodeant, numquid mirum videbitur, si mali Angeli, pro suâ perspicacitate, occulta ea semina noverint, ex quibus serpentes, ranæque nascantur? Si homines variis artibus terræ succos ita temperare, miscere, elaborare possint, ut nonnullæ plantæ flores induant in fructusque longè ante erumpant, quam fert solitus naturæ cursus: nonne valent Dæmones hinc et inde sparsa semina, vel ova formandis ranis idonea colligere, transferre, evolvere, eorumque incrementa subitis progressibus accelerare? Nonne etiam possunt in ranas ita agere, ut è rivis fluminibusque in terram exiliant? Ita ferè argumentatur Augustinus. (*Lib. 3. de Trinitate, capit. 8. et 9.*)

Utralibet igitur opinio eligatur, manifestum est nihil in prædictis prodigiis occurrere, quod naturæ vires superet, verumque probet miraculum.

Inst. Juxta Scripturam, Magi fecerunt similiter, id est, perinde ac Moyses: atqui opera Moysis vera erant miracula; ergo et Magorum, etc.

Resp. Dist. maj. Fecerunt similiter, id est, Moysen artibus suis imitari conati sunt, conc. maj. id est, eadem prorsus opera fecerunt, neg. maj.

Itaque ille est genuinus hujus vocis similiter sensus, quod Magi suis incantationibus Moysen imitari conati sint, non verò quod omnia utrinque fuerint æqualia. Hoc enim vocabulum similiter adhibet Scriptura, etiam ubi agitur de prodigio quod nequicquam Magi tentârunt: feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent scinyphes, et non potuerunt. (*Exod. 8. 18.*)

PROPOSITIO II.

Homines etiam mali, possunt esse causa instrumentalis
Miraculi propriè dicti.

Prob. Illi miraculi propriè dicti causa instru-

mentalis esse possunt, quibus Deus uti potest ad illud operandum: atqui Deus ad patrandum miraculum propriè dictum uti potest hominibus, etiam malis. Illud enim ministerium non excludit eorum perversitas; siquidem miraculi, sicut et Prophetiæ donum, utpotè in aliorum utilitatem concessum, sanctitatem non exigit; nulla quippe est sanctitas sine caritate: atqui tum miraculi, tum Prophetiæ donum in iis etiam reperiri posse qui caritate sunt destituti, colligitur ex r. Epist. ad Cor. cap, 13. ibi enim affirmat Apostolus se absque caritate nihil fore, etiam si loqueretur linguis hominum et Angelorum, et Prophetiam haberit, tantamque fidem, ut montes transferret.

Illud etiam apertè docet Christus apud Matthæum, ubi ait: *Mulri mihi dicent: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas facimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discédite à me omnes qui operamini iniquitatem.* (Matth. 7. v. 22. & 23.) In hoc textu agitur de veris miraculis et in Christi nomine factis: atqui tamen malis tribuuntur, hominibus scilicèt quos jubet Christus à se discedere, quosque vocat iniquitatis artifices.

Obj. Illud non potest Deus quod ipsius sapientiam dedecet: atqui summam Dei sapientiam dedecet malis hominibus ad patranda miracula uti; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Quod enim non semel Deus fecit, illud profectò divinam non lædit sapientiam: atqui Deus non semel malis hominibus usus est ad operanda miracula, ut patet ex textu jam laudato; ergo, etc. Prætereà tam Deus potest, illasà sapientià, malos homines tanquam ministros adhibere ad efficienda miracula, quàm ad sacra conficienda: atqui Deus potest, salvà sapientià, hominibus pravis uti ad sacra conficienda. In eo quippè consentiunt Theologi, quòd sanctitas et probitas in Sacramentorum Ministris non re-

quirantur, ut ea validè conferant; ergo, etc.

Inst. Tam Deum summè sapientem dedecet suæ autoritatis partem hominibus malis committere, quàm illud dedeceret Principem sapientissimum: atqui illud dedeceret Principem sapientissimum; ergo et Deum.

R. 1^o. Neg. maj. Princeps enim qui ad obeunda regni sui munia malis civibus uteretur, dum optimis uti potest, peccaret, vel ex ignorantia, vel ex imprudentia, vel ex malà voluntate; ex illoque delectu plurima nascerentur in regimine politico mala, quæ vel nollet vel non posset Princeps impedire: atqui nihil simile occurrit in Deo, dum malos ad facienda miracula adhibet; ergo, etc.

Resp. 2^o. Neg. min. Principem enim sapientissimum non semper dedecet Ministris, etiam improbis, quædam Reipublicæ munera committere, quibus obeundis sunt aptissimi. Quis imprudentem dicat Principem, qui exercitui ducem præficit, rei militaris peritissimum, licèt multis vitiis deditum, præ alio duce sanctiori, sed minùs perito?

Inst. Indignum est Deo populum in errorem inducere: atqui ita res se haberet in hypothesi de quâ agitur; populus enim ut sanctum habet qui miraculum operatur: ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ille enim populum in errorem non inducit, qui miracula non dedit tanquam argumenta sanctitatis illius qui ea operatur, sed veritatis doctrinæ quæ per ipsum annuntiatur: atqui Deus miracula non dedit, etc. Quinimò docet Christus miraculorum donum bonis et malis esse commune, ut constat ex suprâ dictis. Illud in Religione Christianâ et in Ecclesiâ Catholicâ certissimum esse tradit autor fidei non suspectæ, doctissimus Baillet: (*Dissert. in vitam Sanctorum, num. 82.*) rationem hanc subjicit, quòd innumeri sint Sancti qui, dum viverent, nulla ediderunt miracula: nullum narratur de beata Virgine, nullum de Joanne Baptista; si quod igitur eâ de re præ-

judicium apud populum invaluerit, fidei regulam emendetur et corrigatur.

PROPOSITIO III.

Nec homo, nec Angelus malus potest esse causa instrumentalis Miraculi propriè dicti in confirmationem erroris.

Prob. Illa opinio absurda est et impia, quæ *veracitatem* et bonitatem divinam funditus evertit: atqui opinio quam refellimus, etc. 1°. Quidem *veracitatem* divinam. Hæc enim omninò tollitur, si Deus fiat erroris causa principalis: atqui in sententiâ quam aggredimur Deus fieret, etc. Nam, fatentibus omnibus, Deus non potest per se ipsum solum et immediatè miraculum in confirmationem erroris operari, quin tota ipsius causa meritò censeatur; ergo nec potest Deus, ut causa principalis, creaturæ ministerio uti ad conficiendum in gratiam erroris miraculum, quin error ille in eum, tanquam causam principalem, refundatur; ac proinde nec homo nec Angelus potest esse causa instrumentalis miraculi in confirmationem erroris, quin penitus evertatur *veracitas* divina.

Et verò Deus, neque per se, neque per Dæmonis alteriusve ministerium potest miraculum propriè dictum in gratiam erroris patrare, quin hujus erroris causa principalis meritò habeatur, si miraculum instituerit, tanquam certissimum veritatis signum, suæque voluntatis testimonium: atqui Deus miraculum instituit tanquam, etc. quotiescumque enim aliquod grande et insolitum hominibus testari voluit, miraculis usus est. Quo pacto dubitanti Moysi fidem facit, se ipsi hanc provinciam imponere, ut populum suum à servitute eripiat? Nonne miracula adhibendo? Quo pacto Ægyptiis et Pharaoni testatur, velle se ut populum suum liberum dimittant? Nonne miracula operando? Quo

pacto Christus Judæis demonstrat se divinitus missum, verumque Dei Filium esse? Nonne sua allegando miracula? Ergo Deus miraculum propriè dictum instituit tanquam certissimum veritatis, suæque voluntatis sigillum; ergo, etc.

2°. In sententia quam impugnamus tolleretur etiam bonitas divina. Ille enim bonus non esset, sed pessimus, hominiquè infensissimus, qui miseros mortales vi quâdam ineluctabili in errorem protruderet: atqui talis esset Deus, si homine vel Angelo malo uteretur, tanquam causâ instrumentali miraculi propriè dicti, ad confirmandum errorem. Ita enim à naturâ, vel potius à conditore Deo comparati sunt homines, ut altius infixum animo habeant, Deum per miracula loqui, eaque certissima esse veritatis argumenta. Cujus persuasionis naturalis testis esse ipse Spinoza, qui, ut suo in Dictionario refert *Bayle*, amicis sæpius dicitabat, se absque dubio fidem Christianam amplexurum, si Lazari resurrectionem tanquam certam crederet. Testes sunt omnes populi apud quos ita invaluit hæc persuasio, ut suam quisque religionem miraculis confirmare studuerit; hominibus igitur insita est propensio quædam, vi cujus immobiliter credunt miracula cum veritate devincta esse et colligata; ergò Deus non posset hominis, vel Angeli mali ministerio miraculum propriè dictum in gratiam erroris operari, quin homines in errorem impelleret, bonusque esse desineret.

Quo pacto autem ab illo errore emergere poterunt miseri mortales? An per revelationem aliquam? Sed ut constet nova illa revelatio, miraculo obsignetur necesse est. An per novum miraculum? Sed posterius illud miraculum non nisi æquivocum erit testimonium in hypothesis factam refellimus; dubitandi enim erit locus an factum fuerit in confirmationem erroris: ex iis omnibus patet tum *veracitatem*, tum bonitatem Dei penitus everti, si vel homo vel Angelus malus possit esse causa